

2.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
CAVSSIS PHTHISEOS  
PVLMONALIS

---

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-  
RIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL. REL.

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN VTRAQVE MEDICINA HONORI-

BVS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. XXII. MAII MDCCCLXXXIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IACOBVS HENRICVS PPROEPFFER

RVTHENO-VARISCVS.

---

GENAE LITTERIS MAVKIANIS.

INSTITUTIONE BAVARICA MEDICA

DE

CAUSIS PHTHISIOS

BY JACOBUS PHTHISIOS

DE

RECTORIS ACADEMIAE BAVARICAE

GENERICISSIMO DUCTU DE BONINO

D O M I N O

CARDIO AVGVSTO

DUCE SENONIA IN BO GEMME MONTIVM MORA

MAE ET GEMMAM LAMORAM TROSCALIAE

GRATIONE ALPHONSI ORDIENS

THEO GRADY DOCTORIS

INVENITUR IN VITAE MEDICINA HONORI

BY AC THESSALIAE ET TONITONIA

DE

PARTE DE

AVGVSTO

JACOBI PHTHISIOS PHTHISIOS

RECTORIS ACADEMIAE

GENNA LITTEBIS BAVARICIS



V I R O  
PRAENOBILISSIMO CONSVLTISSIMO  
ATQVE AMPLISSIMO  
CHRISTIANO GOTHRIDO  
ZOPF

SERENISSIMI PRINCIPIS RVTHENI A CONSILII PRAEFECTVRAE GREIZENSIS SVPERIORIS PRAEFECTO NEC NON  
DYCASTERII ET CONSISTORII ASSESSORI REL.

PATRONO ATQVE COGNATO


OMNI HONORIS CVLTV

VSQVE AD CINERES PROSEQVENDO


HANC DISSERTATIONEM  
TANQVAM  
PIETATIS SVAE SEMPITER-  
NAE TESSERAM  
ET  
GRATISSIMI ANIMI DOCUMENTVM  
CVM  
OMNIGENAE FELICITATIS VOTO  
SVMMA QVA DECET OBSERVANTIA  
D. D. D.


AVCTOR  
IACOBVS HENRICVS PPROEPPFER





T H E S E S.

- 1) In multis morbis saepe symptomata prius, quam causa sunt tollenda.
  - 2) Opium in haemoptysi conducere potest.
  - 3) In hydrope roborantia non sunt negligenda.
  - 4) Vomitorium in dysenteria sub initio egregium remedium est.
  - 5) In arthritide mercurius prodest.
  - 6) Colica saturnina difficulter, colica chronica nunquam sanatur.
  - 7) Infantes ad morbos convulsivos procliviores sunt, ac adulti.
  - 8) A polypo in corde apoplexia oriri potest.
- 








§. 1.

**P**hthisis,  $\Phi\theta\acute{\iota}\sigma\iota\varsigma$  Graecorum, a  $\Phi\theta\acute{\iota}\omega$ ,  $\Phi\theta\acute{\iota}\omega$ , *tabesco*, originem ducit. Attici illam  $\Phi\theta\acute{\iota}\sigma\eta\varsigma$  a  $\Phi\theta\acute{\epsilon}\omega$ , *corrumpo*, deriuando nominant, propter vitium, quod corpus hoc in morbo contrahere solet. Sumitur vero apud auctores phthisis aut sensu latiori, aut strictiori; Prius dum fit, pro tabe totius corporis, ex qualibet causa orta, habetur: Sin vero posterius, pro illa tantum tabis specie, cuius causa in pulmonibus est quaerenda, et tunc proprie *pulmonalis* est. Est igitur morbus, a vitio pulmonum ortus, et cum macie febrisque lenta coniunctus.

§. 2.

Phthisin antiquis morbis esse annumerandam, iam iam satis constat. In omnibus paene medicorum veterum scriptis eius fit mentio. HIPPOCRATES de illa in libr. *Epid. Aphorism. Lib. Prognost. De Morbis, De partibus corporis, Praenot. et Coac.* differit.



differit. RHAZES, Arabum medicorum non vltimus, Libr. IX. ad *Mansur*. et ABU OSEIBAH (a) Cap. IX. de phthifi loquuntur. GSCHUSUIS (b) quidem ait, primum inter Arabes, qui phthifi periret, fuisse JASUM, circa centes. annum ante *Christum* natum, vt VAKIDENSIS affirmaverit. Sed sit fides penes auctorem, cum scriptores medici longe ante hoc tempus iam phthifin cognitam habuerint, et inprimis HIPPOCRATES, optimus eius aevi observator, illam, vt morbum vulgarem, pertractarit.

### §. 3.

*Signa phthiseos diagnostica* praecipua sunt: Macies, febris lenta, tussis humida i. e. cum sputo iuncta, aut sicca, dolor thoracis, respiratio difficilis, pallor cutis, et prostratio virium. Si vero *sputum* spectes, dividitur phthifis in *siccam* et *humidam*. In illa aut nullum, aut saltem paucum sputum adest, in hac autem aeger cum tussi aut faniem, aut pituitam, aut bilem eicit, quae varietas sputi divisionem eius in *ulcerosam*, *pituitosam* et *biliosam* fecit.

Ab

(a) IO. IACOB REISKE et IO. ERN. FABRI  
Opuscula medica ex monumentis Arabum,  
edit. III. GRUNERI Halae 1776. Obs. XVI.  
pag. 58.

(b) Ibidem. Obs. XII. pag. 28.





Ab aliis morbis phthisis facile distinguitur :

- 1) *Ab asthmate*, eo, quod in hoc nulla febris adest, nec macies.
- 2) *A tussi convulsiva*. Haec morbus est infantum spasticus, subito invadens, raro cum febre coniunctus, epidemice grassans, plerumque sex aut novem hebdomades perdurans, sed haec quidem in phthisi desunt. Tussis convulsiva cum impetu incipit, et sub initio maxime aegros vexat, contra phthisica tussis lente et paullatim venit, et in fine morbi augetur.
- 3) *A tussi catarrhali*. Catarrhus morbus est valde vulgaris, cum febre quidem coniunctus, sed benigna, quae intra VII. — XIV. dies decedit, subito homines invadit, sed marcor et debilitas fere absunt. Et in diuturno catarrho, phthisi simillimo, abest febris.
- 4) *Ab atrophia*, differt phthisis sede morbi. Illa praecipue infantes aggreditur, et obstructioni glandularum mesaraicarum maxime debetur. Marcorem quidem adiunctum habet, sed nullam tussim.
- 5) Idem discrimen quoque est *inter phthisin et tabem siccam atque hecticam*. Hae plerumque a morbis aliis, imprimis febribus, remanent, et ab viscere obstructo abdominis dimanant. Febris hectica quidem vna adsunt et macies, sed tussis





cum sputo absunt. In fine morbi quidem interdum accedit tussis aut sicca, aut humida, sed haec tantum consensualis est et accessoria, ab acrimonia sanguinis tabidi orta.


6) *Tabes dorsalis a phthisi* facile distinguitur: Febris lenta et macies quidem utriusque sunt communia, sed reliqua illius symptomata, dolor dorsi, sub initio tantum sensui formicarum similis, polutio, exsiccatio et deminutio penis, in phthisi deficiunt. Pulmo in tabe dorsali sub initio morbi sanus est, et tantummodo in fine ex consensu afficitur.

7) Ad *phthisin a peripneumonia* discernendam sola febris sufficit, quae in hac acuta est, in illa diuturna.

#### §. 4.

Morbus hic atrox et periculosus permultis *causis* oritur, variis, valde inter se differentibus, interdum coniunctis, ita tamen, ut difficile sit ad affirmandum, utrum quaedam praedisponentibus aut occasionalibus sint annumerandae. Quin etiam morbus nomine quidem idem, sed natura sua diversus est. Nam phthisin siccam et humidam, ulcerosam et biliosam, hanc et pituitosam eandem esse, nemo artis peritus contendet. Causae itaque adsint necesse est, quae solam phthisin siccam, aut  
solam





folam humidam, aut vtramque proferunt. Singulas ergo exponamus.

§. 5.

*Causa phthiſeos cuiusque proxima sunt vitia pulmonum, cum ſanguine prauo et acrimonia quadam copulata. Differunt inter ſe haec vitia, et pro diuerſitate varias phthiſeos formas inducunt, nempe 1) Phthiſin ſiccam, ſi ſcirrhi, nodi, tubercula, calculi, indurationes vel vomicae opertae intus ſunt, 2) Ulcerofam, ſi vlcera et vomicae apertae infeſtant. 3) Pituitofam, ſi pituitae aut mucii aggeſtio et hinc facta vaſorum obſtructio vrgent: 4) Bilioſam, ſi bilis copia per metaſtaſin in pulmones delata eſt. Sanguis in quaque phthiſi cacochymicus eſt, in vna maxime pituitofus, in altera muriaticus, in alia acidus, partibus blandis, oleoſis et nutrientibus privatus, vnde aeſtus hecticus et febris veniunt, nutritio corporis perditur, et hoc ocyus ferius marceſcit. Tuſſis autem, dolor thoracis et reſpiratio difficilis, a pulmonibus affectis originem ducunt.*

Hanc cauſam phthiſis propriam, proximam, permultae res, accidentia, diſpoſitiones, morbi, excitare vel inferre poſſunt, ideoque etiam ipſam phthiſin. Nam morbi cauſam proximam progignere, idem eſt, ac ipſum morbum producere.





## §. 6.

Praedisponentium ad phthisin caufarum copiofa est cohors, quarum quaedam mere praedisponent, aliae autem vna, vti occasionales, agunt, et licet nulla huiusmodi accedente, tamen phthisin concitare possunt, qui effectus aut inde venit, quod per longum temporis spatium adsint, aut ab modo, quo corpus invadunt.


## SECTIO I.

## CAUSAE PHTHISEOS PRAEDISPONENTES SENSU STRICTIORI SIC DICTAE.

## §. 7.

I. *Haereditaria dispositio.* Meum hoc loco non est inquirere, vtrum morbus per haereditatem propagari possit, nec ne, et argumenta examinare, quae medici veteres et recentiores in vtramque partem attulerunt; Nam experientia sola, optima artis nostrae magistra, iamiam satis docet, sanos progignere sanos, et vice versa. Quotidie videmus homines, optima sanitate et corporis constitutione athletica, infantes gignere, eadem valetudine praeditos, et contra toties, immo saepius observamus, homines aegrotantes arthriticos, venereos, hypochondriacos, epilepticos, quorum proles eadem  
labe





labe laborat. Sed in specie observatores omnis aevi phthificorum historias consignatas reliquerunt, unde patet, hunc morbum a parentibus veluti per traducem ad filios transiisse. HIPPOCRATES iam (a) filiam EVRYANACTIS febre correptam notat, et adfuisse innatam tabem contendit. FRACASTORIUS (b), SCHENK A GRAFENBERG (c) et FERNELIUS (d) et multi praeter hos alii affirmant, interdum totas familias usque ad quintam generationem phthisi periisse.

Hominis phthifici humores omnino omnes miasmate illo impraegnati sunt necesse est, quidni et sanguis et omnes inde se- et excreti liquores, urina, semen, sudor etc. Mater ergo phthifica, cuius sanguis hoc veneno infectus est, cum foetum sanguine suo per funiculum umbilici nutriat, et foetus nullo alio, quam sanguine gaudeat materno, debet illi etiam una cum sanguine partem contagii phthifici tradere, nec refert, utrum consistat sanie, e pulmonum ulceribus, quibus mater affecta est, resorbta, vel acrimonia quadam, in sanguine matris praedominante. Quod autem filii patris phthi-

A 4

fici

(a) Epidem. Lib. III. Hist. VI. Edit. van. d. Lind.

(b) De morbis contag. lib. II. Cap. 9.

(c) Observat. med. Lib. II. pag. 255, 256.

(d) Pathol. Lib. V. Cap. 10.





fici eiusdem morbi sunt participes, causa in femine quaerenda est, et in hoc quaedam occulta qualitas tabifica subesse putanda, quae in posteros similem inferat labem; Nulla enim alia via ostendi potest, per quam pater foetui morbum suum tradere possit, nisi ministerio feminis contagiosi, quo pater sub coitu ovulum maternum et gluten elementare velati inficit, et in prima morbi stamina transfundit. Ergo hoc vitium a primo vitae momento contractum, in corpore relinquitur, et vna adolescit.

### §. 8.

II. *Debilitas pulmonum.* Omnis pars corporis debilis ac imbecilla ad morbos pronior est, fiunt congestiones et metastases maxime ad eiusmodi loca, item stagnationes humorum, ob vires partis infractas, adeo, ut congesta subigere nequeat. Huic fato pulmones, si qua alia pars, sunt obnoxii; nam textura eorum tenerrima est, plurimis cellulis constant, inter se per vasa cohaerentibus, et quasi vnicum vas repraesentantibus, maxima moles sanguinis semper huc deferitur, et quidem ob vicinum cor magno cum impetu. Ponamus ergo, pulmones cuiusdam valde esse labefactatos, et tonum eorum prorsus perditum, copiam sanguinis allatam illi quidem suscipiunt, sed expellere nequeunt. Hic itaque in pulmonibus stagnabit accumulabitur-  
que






que, et hoc modo peripneumoniam, vel si vasa dilatet, aut dirumpat, haemoptysin producet. Ambos autem morbos ad causas phthificos occasionales referendos esse, infra demonstrabimus, et eo efficaciores, certiusque labem hanc contrahentes, si quando debilitas pulmonum prima illorum causa fuerit.

Non solum autem congectionem sanguinis, sed cuius demum cunque materiae in pulmones infirmos phthisis consequi potest. Materia morbifica, quaecunque in humoribus lateat, vna cum sanguine pulmones adit, ibique haerere, subsistere, et morbos inducere potest. Denique extrinsecus causa inferri potest. Mutationi aëris semper expositi fumus, modo humidum, modo calidum, modo frigidum spiramus. Vulgaris huius rei effectus est catarrhus, qui experientia magistra, praecipue imbecillos, minus robustiores invadit. Homo itaque laxis pulmonibus praeditus, et catarrho identidem affectus, pituitam in pulmonibus accumulata, blanda tussi reicere nequit, haec itaque in pulmonibus remanet, et phthisin pituitosam inducit.

Hanc debilitatem inferunt causae variae et plures, inprimis corporis status debilis et laxus, a parentibus veluti traditus, thorax male conformatus, vitae ratio, et alia complura, quae inter-





dum alio modo phthifin gignunt, ideoque infra cum caeteris sunt pertractanda.

§. 9.

III. *Thoracis structura, aut per naturam, aut casu vitiosa.* Quo pertinent angustia et depressio pectoris, praecordia contracta, scoliofis, cum spina dorsi et costae vel intus, vel extrinsecus curvatae sunt. Eiusmodi homines *Aretacus* (a) iam ad phthifin pronos esse contendit. Pulmones itaque, in spatio tam angusto inclusi, se satis dilatare nequeunt, sed semper in statu compressionis se habent, unde tonum amittunt et debilitantur, serum, cum sanguine illinc delatum, haeret, incrassatur, et vesiculas obstruit. In gibberosis praecipue digestionis officina laeditur, ita, vt blandus chylus e cibis non pareretur, sed crudus et incoctus, qui vbi ad massam sanguinis delatus est, illam reddit cacochymicam. Scoliofis quoque eo ad phthifin praedisponit, quod ob incurvationem vasorum et compressionem facile vas rumpatur, et inde haemoptysis veniat.

Causa huius status aut est innatum vitium, aut postea introductum, educatione, lapsu aut alio casu, luxatione vertebrarum, quam curvatio costarum sequi-

a) *De Diurnis* Lib. I, Cap. 8. vbi ἔξισ δὲ γάδινοι, inquit, κανιώδεις πτερυγώδεις ἐξ ἐχέβρογχοι λευκοὶ ἀραιότεροι τὸν θώρακα.





sequitur. Causa plani et angusti thoracis saepe in eo quaerenda est, quod infantes a primis vitae initiis fasciis, capitellis et vinculis constringuntur, quo ossa eorum, et cartilagineae, tunc valde mobiles et molles, comprimuntur, et prohibentur, quo minus possint increescere, et ipsum pectus dilatari. Postea celere corporis incrementum huc confert, quum iuvenes, quorum corpus cito in longitudinem extenditur, minus in latitudinem, macilenti et graciles fiant. Sic enim pectus, vti aliae corporis partes, longius fit, et diameter eius longitudinalis augetur, sed eo ipso diametri latitudinales imminuuntur. (a) Vitae institutum, quod quis sequitur, non minus phthisi proferendae inservit. Eruditi, qui a tenera aetate litteras agitant, scribendo aut alios peragendo labores litterarios, pectus mentis apprimunt, saepiusque hoc fitu per plurimas horas permanent, quo pectoris elationem impediunt, illud comprimunt, pulmones debilitant, et haemoptysin facile allicere possunt. (b) Multo potius linearii, polymitarii et tibialium confectores, eandem ob causam huic fato sunt obnoxii. Hi enim totos dies machinae textoriae insidentes, thorace

a) vide LUDWIG Diss. de celeri corporis incremento, Lips. 1760. 4.

b) V. ACKERMANN von den Krankheiten der Gelehrten. p. 74.



race huc inclinato, quod quia totum corpus libere se mouet, basis et hypomochlion corporis est, texendo brachia et pedes commouent, totam machinam conquassant, et vna cum hac pectus, ob nimium cum illa arte coniunctum, imprimis si instrumento vtuntur, quod *die schivere Lade* dicunt. Thorax et pulmones comprimuntur, concutiuntur itaque, haud difficulter vas rumpitur, et haemoptysis corripit, cui plerumque phthisis insequitur, ob statum cachecticum, huic hominum generi familiarem.

§. 10.

IV. *Sensibilitas, et irritabilitas nimia, debilitas aut teneritudo corporis.* Generatim iam huiusmodi homines magno agmini morborum sunt subiecti, quibus etiam phthisis et quidam alii, tandem in eandem degenerantes, sunt annumerandi. Nam corpora, systemate nervorum tam fragili praedita, omnes affectus maiori gradu sentiunt, facilius morbis corripiuntur, et illis succumbunt. Ideoque omnes phthiseos causae occasionales grauius hos delicatulos afficiunt, et potius morbum procreare possunt, ac in alio, qui quia maioribus viribus vitae et nervis minus sensibilibus gaudet, illis magis resistit.

Facilius itaque catarrhus invadit hoc genus molle hominum, isque difficilior curatu, quia ob laxitatem facillime vas aperitur aut rumpitur.


Sed



Sed etiam mediate ex hac dispositione phthisis oritur, cum alii morbi, ex eodem fonte nati, in illam transmutentur, aut cum ex hac causa praedisponenti occasionales oriantur. Ex prima classe vulgaris est phthisis ex hypochondriasi vel hysteria. Morbus est spasmodicus, a sensibilitate nimia nervorum oriundus. Spasmi praecipue intestina aggrediuntur, quo digestio laeditur, et sanguis fit cacochymicus. Non iniuria itaque FRACASSINUS (a) sanguinem appellat causam huius mali, et vitium tam in crassitie mucosa, quam in partibus heterogeneis admixtis ponit, quae, digestionem laesa, ex intestinis crudae vel iam corruptae in sanguinem veniunt, et hunc reddunt cachecticum. Arteriae et reliqua vasa languide hinc sanguinem viscidum et crassum propellere nequeunt, vnde in ramulis minimis proveniunt obstructions, et viscerum infarctus, quod aequè fit in pulmonibus et glandulis bronchialibus. Partes ergo acres in sanguine multiplicantur, indeque sequitur aestus hecticus febrisque lenta. E secunda classe saepissime occurrunt animi motus nimii. Homo, tam sensibilibus nervis praeditus, a multis rebus fortuitis magis afficitur, ac alius, cuius nervi tanta irritabilitate non gaudent. Semper itaque eiusmodi hominis animus in motu versatur, modo iracundus

a) Opusc. Pathol. P. III. Cap. III. §. 383.





dus est, modo tristis, modo gaudium, modo amor  
 illum afficit. Inprimis autem affectus mali vale-  
 tudinis bonae sunt inimici. Spasmus hinc oritur  
 per totum corpus, pulmones non minus concutiens,  
 ac alias partes, hi itaque, cum iam ob debilitatem  
 vniuersam valde imbecilles sint, et tono suo careant,  
 magis laeduntur, digestio perditur, et prava fit,  
 vnde sanguis provenit cachecticus, qui quidem in  
 societate pulmonis debilitati causa idonea phthi-  
 seos fit. Quo accedit, quod sanguis horum sensibilia  
 semper in quodam aestu est, qui facile in febrem  
 lentam transit. Iracundia quoque obstructionem  
 hepatis efficere potest, et quomodo ex hac phthi-  
 sis nasci possit, infra enarrabimus.

## §. II.

*V. Aetas iuuenilis.* Proprie aetas haec non  
 pro causa phthi-  
 seos haberi potest. Nam sine alia-  
 rum adiumento, nullam phthi-  
 sin inducere potest,  
 sed tamen quodam respectu inter causas praedispo-  
 nentes locum meretur. Experientia docet, ma-  
 ximam partem phthi-  
 sicorum sub aetate iuuenili hoc  
 malo affici. HIPPOCRATES (a) annos phthi-  
 si concipiendae aptos ait XVIII. vsque ad XXXV. et  
 ARETAEUS (b) iuvenes prae ceteris phthi-  
 sios

a) Sect. V. Aph. 9.

b) De diuturnis lib. II. Cap. 8.



xios esse contendit. Sed nec hominibus, extra hanc aetatem positis, parcit, cum multi iam in puerili (a), alii quoque in senili, ab hac labe consumti moriantur. Causa vero, cur aetas iuvenilis maxime morbo huic sit exposita, in eo cernitur. 1. quod plerumque iuvenes ob plethoram ad haemoptisim et peripneumoniam sint proni: plethora autem inde venit, quod corpus iustam magnitudinem crescendo affectum sit, humores itaque ad hunc finem adhuc infumti supersunt, ideoque massa humorum augetur magis, quam necesse est, et plethora oritur: 2) Ob sensibilitatem huic aetati propriam, denique 3) Ob vitae rationem plerumque minus ordinatam, et regulis diaetetices non satis accommodatam.

## SECTIO II.


### CAUSAE AD PHTHISISIN PRAEDISPONENTES SENSU LATIORI SIC DICTAE.

#### §. 12.

Causae illae sunt, quae per se, nulla super veniente occasionali, longiori demum temporis spatio aut maiori vehementia, qua corpus afficiunt,  
 phthi-

a) V. ROEDERER Progr. de phthisi infantum pulmonari. Goett, 1758.





phthisin scire possunt, sed quod diutius in corpore esse possunt, et aut prorsum quiescere, aut saltem nullam labem inducere, praedisponentibus omnino annumerandae sunt. Singulas ergo enarremus.

I. *Vitelus crudus, cibi difficilis materiae et malae digestionis.* Ex illis enim malus chylus praeparetur necesse est, qui vbi sanguini admixtus est, hunc multis partibus mucosis, crudis et prauis onerat. Sanguis ergo naturam chyli paullatim induit, et fit pituitosus, crassus, interdum acer. Hic vitelus si longius sumitur, omnem massam sanguinis inficit et corrumpit. Actiones hinc corporis et nutritio laeduntur, humores e sanguine secreti eisdem indolis sunt, tota corporis machina ab naturae legibus deflectit, et obstructions vasorum ac viscerum gignuntur, circuitu sanguinis languidiori, quibus inprimis pulmones vexantur, partim ob copiam sanguinis huc delatam maiorem, partim ob structuram fragilem, et minime pressioni concedentem, partim ob multa vascula parva et cellulas, quibus constant, laxiores. Vires ergo corporis cachexia vitatae labefunt, ergo nulla resistentia adest, quae impediat, quo minus obstructio in pulmonibus magis magisque inerescat, et immensa pituitae vis accumulatur. Rebus sic se habentibus, brevi phthisis pituiosa veniet, nullis remediis cedens, et, acriori facta materia morbifica,



corrosio demum et ruptio pulmonum, quia vlcera ipsa insequuntur.

§. 13.

II. *Vita sedentaria, vigiliae perlongae, et neglectus corporis motus, ad sanitatem tuendam necessarius.* Primum damnum, ex hoc fonte ortum, est mala concoctio et digestio, cachexiam inducens, alterum vero excretio sudoris et transpiratio insensibilis suppressa, qua partes accrescibiles, alias per sudorem excretas, in corpore retinentur, et sanguini rursus admiscuntur, unde non solum cachexiam augent, sed acrimoniam novam excitant. Pulmo in his, qui sedentariam vitam agunt valde comprimitur; Abdomen enim, sicut corporis incurvato, introrsum coarctatur, quo extensio diaphragmatis in cavum abdominis prohibetur: Cum autem alternans extensio et contractio diaphragmatis multum ad dilationem pectoris, ideoque ad respirationem facilem conferat, haec rite fieri non potest. Pulmones itaque hac ratione semper debilitantur, et congestiones fiunt, quae eo facilius oriuntur, quo proclivior sanguis cachecticus ad illas est. Quae de re BAGLIVIVS (a) a vita sedentaria phthisim ortam esse contendit: „Qui quotidie, inquit, scribendo vitam ducunt, phthisici moriuntur, quae rauce dicitur inci-

pit

a) Opera omnia medico practica Lib. I. p. 89.



„pit molesta. Crediderim ipse, sanguinem et spiritus  
 „illa nimiumque intenta mentis fatigatione vehementer  
 „excandefactos, in motum positos, agitados atque  
 „acres factos, cum per venas iugulares brevi via a ca-  
 „pite in pulmones ita calefactus, acris et agitatus de-  
 „pluit atque recirculat, eosque acrimonia sua crispat,  
 „convellit atque exsiccat, quod idem est, ac phthisin  
 „causare, „ Primo venit phthisis pituitosa, e pituitae  
 congestione nata, quae denique in *ulcerosam* transit,  
 nisi prius aegros confectos interfecit.

Obnoxii huic morbo praecipue sunt eruditi,  
 qui, nimio amore studiorum flagrantes, per totam  
 vitam litteris incumbunt, quod fatum nuperrime  
 MURRAY, Prof. Philos. apud Gottingenses, exper-  
 tus est. (a) Porro omnes artifices et opifices, quo-  
 rum officia requirunt vitam sedentariam, v. c.  
 Scribae, Nentes, Sartores. Horum BARTHOLI-  
 NUS (b) vidit aliquem per industriam phthificum  
 factum. Ergo vita sedentaria quaevis phthisin pro-  
 ducere potest.

§. 14.

III. *Potus abundans spirituum ardentium, aquarum vitae et destillatarum.* Haec omnia qualitate  
 gau-

a) MURRAY Progr. De Phthisi pituitosa, Gott.  
 1776.

b) Hist. anat. Cent. III. Hist. 2.



gaudent inspissandi, coagulandi, exsiccandi et adstringendi. Effectus eorum est, sanguinem et reliqua fluida inspissandi et coagulandi (a). Sanguis itaque crassior et densior ad stagnationes et obstructions fit pronus, et ob spirituosas et acres particulas aestum febrilem et hecticum gignit. Effectus alter est stimulandi solida, constringendi (b) et ob fluidorum coagula exsiccandi: Itaque vices eorum laeduntur, fluida languidius circumeunt tam ob soliditatem, quam ob angustiam canalium. Vtrumque ad producendas stagnationes et obstructions sufficit.

Causa vero, cur magis pulmones, quam aliae partes corporis laedantur, tum in constructione eorum tenera et molli, tum in mole sanguinis, perpetim huc delata, est quaerenda.

### §. 15.

IV. *Aer humidus et impurus.* Homines, in aere humido viventes, plerumque, experientia magistra, sunt cachectici. Nam sudor et transpiratio


B 2

tio

a) *Zacut. Lusitan. Med. Pract. Hist.* 41. 42.

b) *THIERV* in seinen *Erfarungen in die Arzneiwiss.* sagt p. 178. er habe bei den Brandtweintrinkern nach dem Tode die Lungengefäße oft um den dritten Theil verengert gefunden.





tio insensibilis impeditur, sanguis ergo hūcē parti-  
 bus veluti opprimitur. Per vasa inhalantia quo-  
 que multum aeris nebuleſi venit ad ſanguinem, ſo-  
 lida debilitantur et relaxantur. Origines morbi  
 pulmonalis et phthiſis ex hac cauſa HAEN (a) ita  
 explicat. „Si aer, inquit, *nebulofus humidus nos*  
*ambit, perſpiratio e pulmonibus fieri nequit, quia aer*  
*non aptus eſt ad excipiendos humores, qui cum ſpiritu*  
*e pulmonibus exeunt. Hi itaque illic remanent, in-*  
*crāſſantur, et phthiſin pituitoſam proferunt.* Hac  
 ex cauſa, I) variis anni temporibus phthiſis ſæpius  
 occurrit, quam aliis, eamque ob rem autumnum  
 HIPPOCRATES (b) iam tabis genitorem dixit,  
 idemque de vere tradidit (c), quia illis, qui hieme  
 hoc vitium contraxerint, plerumque vere mortuos  
 eſſe proſitetur. His duobus anni temporibus ma-  
 xime aer humidus et nebuloſus eſt, iſque præcipue  
 aptus ad phthiſin procreandam. II) In variis re-  
 gionibus, mari adiacentibus, aut multis ſtagnis  
 vel fluminum inundatione famoſis phthiſis mor-  
 bus eſt quaſi endemicus; quod ARÆTÆUS (d) iam  
 profeſſus eſt, experientia non refragante.

Aer

a) HAENII Praelect. Patholog. T. II. §. 748.

b) Lib. Prognost. Ed. v. d. Lind. Sect. XIV.  
 Aphor. Sect. III. 10. 22.

c) Epid. Lib. III. Sect. III.


d) De diurnis Lib. I. Cap. 8.



Aer impurus multo magis nocivus est ob particulas heterogeneas, quae natura sua variae, cum in pulmōnes attrahuntur, hos aut obstruunt, aut corrodunt. Acres enim, acuminatae et mucronatae partes, aeri tali admixtae, cum in teneras vesiculas veniunt, irritant, pungunt, tussim movent vehementem, qua concussione facile vasorum ruptio, haemoptysis et ulcera nascuntur. Particulae autem laeves et lubricae in vesiculis haerent, conglutinant, lapidis et tuberculorum naturam induunt. Huic malo obnoxii sunt, qui in locis pulverulentis versantur. Semper enim cum spiritu pulverem subtilem intus trahunt, vnde sub initio asthma, post vera phthisis sicca concitatur.

Complures etiam opifices et fictores ob labores domesticos candidati phthiseos putandi sunt. Huc pertinent

1) *Lapididae.* E lapidibus aut gypso, cum asciantur, semper se attollit pulvis subtilis, aerem implens, itaque semper inspirando particulae lapideae cum aere in pulmōnes veniunt, ibi concresecunt, et calculi figuram atque naturam induunt. Nunc scirrhi more agunt, tussim, respirationem difficilem, et cetera phthiseos siccae symptomata proferunt. Calculos autem veros in pulmōnibus permulti se invenisse narrant.



RAMAZZINI (*a*) in ancillae pulmonibus, quae lapicidae ad manus fuerat, calculos reperit. Idem testantur observationes adferendo PAVLLVS AEGINETA (*b*) DIEMERBROEK (*c*) FERNELIUS (*d*), GESNER (*e*), DODONAEVS (*f*), BRASSAVOLA (*g*), SALMVTH (*h*), et SCHENKIVS A GRAFENBERG (*i*), qui narrat. pulmones feminae utrosque tophaceos repertos fuisse. Sub initio lapides illi in pulmonibus, donec quiescunt, nihil praeter asthma nocent, longiori autem temporis spatio, cum pulmo nimis premitur et irritatur, tussis incidit, et ob circuitum impeditum febris hectica insequitur.

FER-

- a*) RAMAZZINI von den Krankheiten der Künstler und Handwerker, herausg. v. ACKERM. I. Theil p. 145.
- b*) Lib. III. Cap. 31.
- c*) Anat. Lib. IV. Cap. 13.
- d*) Patholog. Lib. V. Cap. 10.
- e*) De Fossil. Pars. I. Cap. 12.
- f*) DODONAEVS Observ. Cap. 23.
- g*) Observ. Lib. XIV. Obs. 16.
- h*) Centur. I. Obs. 67.
- i*) Observ. Lib. II. p. 228.



FERNELIVS (a) historiam quidem hominis narrat, qui quoties exercitatione incalescebat, concitata tussi, calculos e pulmonibus reiecit perduros, modo hordei, modo pisi magnitudine, nec vlllo affectus morbo, nisi respiratione difficili, et dolore in medio thorace.

Vltimo tandem asthma hoc et phthisis sicca in humidam letalem transit, cum lapides ob gravitatem texturam pulmonum disrumpant, haemoptysin et ulcera inducant. Eundem effectum produciunt corpuscula peregrina, per asperam arteriam in pulmones delapsa.


2. *Calcarii.* Qui calcem cremant et praeparant, idem fatum, ac lapicidae, experiuntur; Calcareus enim pulvis, pulmonibus illatus, in corpora calculosa degenerat. AMATVS LVSITANVS (b) id genus hominibus phthisin imminere ominatur. Contrarios effectus vapores calcis, inter macerandum se extollentes, habent. Hoc labore enim occupatos potius ab phthisi vindicant, vt LEIGH iam in Phthiologia sua Lancastrensi contendit, qui phthificis quoque suadet, vt se ad aedes, vbi calx extinguitur, conferant. PER-

B 4

CI-

a) Loc. cit.

b) Curat. med. Cent. IV. 41.



**CIVAL** (a) illis, quos frequens labor cum Saturno aut eius vsus asthmaticos et phthysicos reddiderit, auctor suasorque est, vt aut ipse calcem macerent, aut saltem locis, vbi maceratur, crebro commorentur. Nec irritio phthysici vaporibus hisce vtuntur, qui quoniam qualitate exsiccandi sunt praediti, optime ad sananda pulmonum vlcera valent.

3. *Metallarii.* Hi in fodinis nullum alium, nisi aerem impurum, subterraneum, inspirant, et vna multas particulas terreas et metallicas, partim pulmones obstruentes, et tubercula progignentes, partim corro dentes, ruptionem vaporum, haemoptysin et vlcera excitantes (b). Quo accedit, quod eiusmodi homines inter laborandum situ sunt incurvato, propter angustiam loci, quo pulmo comprimitur atque debilitatur, et ita in obstructions inclinatur. Idem fatum experiuntur, qui in officinis metallicis aes malleis pulsando in pulverem redigunt, cribro ceruunt, atque

a) Versuche und Beobachtungen über die Bleigifte in BALDING. Magazin für Aerzte III. Stück. p. 278.

b) Conf. HENKEL von der Bergsucht. Freiburg 1728.



atque lavant. (a) Nec minus fusores, praecipue qui plumbum fundunt (b), et qui e cobalto colorem caeruleum praeparant, phthisi se exponunt: In cobalto enim multum arsenicum inest, quod, cum cadmia pulverisatur, per aerem disseminatur, et illum reddit venenatum.

- 4) *Chemici* in vaporibus metallicis semper versantur, qui partim pulmones exsiccant, partim corroduunt, vti antimoniales, mercuriales, cupreae. (c) (d)
- 5) *Figuli* semper aerem impurum attrahunt particulis argillofis, et halitibus Saturni infectum, quippe quo ad ollas encausto pingendas utuntur. MORGAGNIUS (e) sectionem figuli narrat, cuius pulmones cum pleura concreti et obdurati erant, ac bronchia, si premerentur, materiam albicantem crassam dimittebant.

B 5

6) Vi


a) RAMAZZINI von den Krankh. der Künstl. &c. II. B. p. 70 — 80.

b) HAEN ratio medendi P. X. Cap. 2.

c) HENKEL von der Bergsucht. p. 166.

d) IJINKENS Chymia experimentalis Sect. V.

e) De causis et sedibus Lib. I. Ep. VII. p. 97.




- 6) *Vitriarios* quoque facile phthificos fieri, RAMAZZINUS (a) contendit, praesertim illos, qui vitrum tingunt, ob vapores antimonii, quibus sunt circumdati, quia ex antimonio colorem praeparant.
- 7) *Pelliones*. Huc plurimum conferunt vita sedentaria, halitus putridi rerum, quibus ad pelles suas mitigandas vtuntur, et pulvis copiosus, quem, cum pelles purificant, ex illis pulsando expellunt.
8. *Molitores, pistores, amyli confectores, et capillorum structores*, in aere versantur, farinae et pollinis pleno. Quae si in pulmones inspirando attrahuntur, ibi haerent, et vesiculas pulmonum conglutinant. Sic respiratio difficilis fiat, et obstructio pulmonum oriatur necesse est.
- 9) *Cannabum decorticantes et linum praeparantes* hoc fato quoque sunt subiecti, eo tantum discrimine, quod atomi, quibus aer est impletus, mucronati vel acuminati sint, et pulmones rosionem, vlcera et ruptionem perpetiuntur. MORGAGNIUS (b) dissecauit duo homines, qui cannabum

a) RAMAZZINI von den Krankheiten der Künstler. II B. p. 240.

b) De causis et sedibus morb. Lib. I. Ep. VII. §. 13, 14. Lib. II. Ep. 24.





bum praeparabant, atque post mortem pulmones atros et purulentos ostenderunt.

Idem valet de tritoribus, et illis, qui frumenta cribrant.

IO) *Bombycinatores et qui sericum peccinant*, phthisi facile corripuntur, tum ob pulverem putridum, e pupula bombycis ascendentem, et per aerem se dispergentem, tum ob vitam sedentariam. RAMAZZINI (a) totam bombycinatoris familiam phthisi periisse vidit.

II) *Carbonarii*, si ligna perurunt, et in carbones mutant, fumum, quo sunt inclusi, in pulmones trahunt. Deinde etiam, cum carbones concidunt atque difsecant. Fuligo, in pulmones ductus, obstruit, et idem efficit, ac particulae terreae et farinosae. Cl. WEIKARD (c) in cadavere carbonarii pulmones duros pernigros invenit.

Quam ob causam in Anglia phthisis morbus est valde communis, et fere endemius, imprimis sicca, quam consumptionem appellant. Multum tribuit aer humidus et lithantracum vsus, in fornaci-

a) von den Krankheiten der Künstler &c. B. I. p. 169.

b) Vermischte Schriften III. Band, p. 71.



nacibus et caminis. (a) Lithanthraces enim, cum comburuntur, maiore fumo aërem implent, quem cum hauriunt homines, facilius in phthisin incidunt, quam si carbonibus ligneis uterentur. In dissectis cadaveribus pulmones scirrhis et tuberculis pleni inveniuntur.

### §. 16.

V. *Sorophulae*. Homines hisce tumoribus foedati, sunt cachectici, eorumque sanguis materia crassa et pituitosa plenus, quae, ad glandulas delata, stagnat, et obstructions creat. Sicut hoc fit in externis partibus, ita etiam glandulis bronchiorum, et asperae arteriae idem accidere potest. Glandulae istae ad lubricanda bronchia destinatae sunt, fitque irritum hoc negotium, si quando iste liquor deest, aer itaque irruens bronchia irritat, et tussim movet. Nodi serophulosi asperam arteriam angustando respirationem difficilem produciunt (b). Ob sanguinem prauum nutritio corporis perit, corpus debilitatur, et pulmones ad obstructions apti fiunt.

### VI.

(a) HOFMANN diss. de morbis certis regionibus et populis propriis, Halae 1705.

(b) LIEVTAUD Syn. Prax. med. Lib. IV. p. 181.  
T. II. p. 392.



VI. *Status scorbuticus.* Hunc MORTON (a) in causis phthiſeos poſuit, quod cachexia et mixtio ſanguinis mala, fermentans interdum, ſalina adſit. Phthiſin vero tunc demum producere poteſt, ſi ſanguis acer in pulmonibus per diaereſin aut diabroſin noceat, unde vulnera et haemoptiſis oriri debent, difficillime quidem ſananda ob cachexiam et pravam ſanguinis indolem.


§. 17.

VIII. *Aſthma in Phthiſin* mutari poteſt, pro variis cauſis, e quibus oriri ſolet. Si a vitio pulmonum initium duxit, v. c. a tuberculis, obſtructionibus, ob analogiam cauſarum tranſitus facilis eſt, et ex aſthmate ſiccum fit phthiſis ſicca. Si a congeſtione pituitae aut metaſtaſi producta erat, eadem cauſa phthiſin gignere poteſt. Etiam tunc in eam finiri poteſt, ſi thoracis ſtructuram vitioſam, ſcolioſin ſterni aut coſtarum depreſſionem (vide ſupra §. 9.) adſuiſſe liquet.

IX. *Varix pulmonum.* Hanc HIPPOCRATES (b) cauſam phthiſeos narrat, et ſigna eius adfert tuſſim ſiccam, febrem, reſpirationem difficiliſſimam,

a) MORTON Phthiſiologia Lib. III. Cap. II.

b) Lib. I. de morbis Sect. X. edit. van der Linden,



lem, cephalalgiam, tumorem superciliorum, colorem cutis flauum et album, dolorem thoracis. (a) Initio phthifin ficcam esse, postea autem sanguinem varicem persudare, aut e rupta vena effluere ab aegris; tum expui, tum etiam stagnare, putrescere et in pus converti, vnde vlcera et phthifis humida veniant.

### §. 18.

X. *Contagium.* Phthifin contagiosis morbis annumerandam esse, experientiae testimonio confirmatur, cum saepius totas familias depopuletur. Miasma transfertur in alia corpora aut per sudorem, aut vestibus, lectis et indusiis phthificorum; per aerem et contactum rarius aut nunquam propagatur, dantur tamen exempla, etiam alio modo phthifin transfusam veluti esse in sanos. Sic BAPTISTA MONTANVS (b) narrat, per odoratum sputi, aut pedibus nudis sputum phthifici ambulando, morbum transplantatum esse, RIVERIVS (c) vero historiam ancillae tradit, quae semper phthifiae seruiendo et cum illa versando eandem labem acce-

a) Lib. de internis Affection. Sect. V. ex ead. edit.

b) BAPTISTA MONTAN. Lect. 48. Cap. 7. Comment. ad lib. 9. Rhafis ad Almanf.

c) Cent. I. Obs. 99.



acceptit. Valde tenax miasma esse videtur, cum saepius longum per tempus in vestibus, lectis et cubiculis inhaereat, et antequam se prodit, quietum maneat. Maxime contagiosa phthisis est conjugum, in vno lecto dormientium et sub iisdem stragulis incalescentium (a).

XI. *Suppressio haemorrhagarum*, quibus corpus assuetum erat. Insequitur enim plethora, quae nisi iustis remediis imminuatur, haemoptysin euocare potest, aut certe cachexia, mater plurimum morborum diuturnorum et malorum, et etiam phthiseos, (vide supra §. 12.) insequitur. STAHL (b) iuvenem vidit, saepius narium haemorrhagiam expertum: Qua prohibita, haemoptoe et phthisis secuta est.

### §. 19.

XII. *Obstructio hepatis, scirhi et nodi, in hoc viscere incidentes.* In hepate bilis fecernitur, eo modo, quo alii humores in glandulis, per vascula parva. His itaque materia quadam obstructis, secretio bilis impeditur, ergo in sanguine remanet, et ad alias partes corporis defertur. Cum autem ad pulmones prae ceteris corporis partibus maior sanguinis moles affluit, maior etiam bilis copia  
huc

a) Sam. Farr de Marasmo, Altenb. 1774.

b) Diff. de morbis Hal. 1698.





huc fertur. An hic etiam bilis fecernitur, certe deponitur? Ita videtur.

Particulae ergo biliosae, e sanguine egressae et in pulmonibus fisti coeptae, illos, nisi tussi eiiciuntur, obstruunt, et rigiditates nodosque producunt, quod HIPPOCRATES iam observavit (a) irritando tussim vehementem excitant, unde facile ruptio et ulcera veniant, pus et bilis excreatur et phthisis biliosa se ostendit, reliquis symptomatibus concomitata. Obstrueto vero hepate, et nulla bile ibidem secreta, digestio laeditur, atque oritur cachexia et macies.

Haec phthisis biliosa etiam potest producta calculis, ductum choledochum obstruentibus, quibus ingressus bilis in intestina prohibetur. Haec ergo in sanguinem redit, et in pulmones delata, eadem symptomata excitare tum potest, tum solet.

### SECTIO III.

#### CAUSAE PHTHISEOS OCCASIONALES.

##### §. 20.

Non solum illas causas *occasionales* nuncupō, quae, antecedente quadam praedisponente, phthisin  
ex-

a) Lib. I. de morbis §. XIV.



excitant, sed etiam huic generi annumerandas, et hoc nomine insigniendas arbitror, quae, nulla praedispositione corporis antegressa, hunc morbum inducere possunt, et quia ex abrupto quasi veniunt, et corpus aggrediuntur, occasionales appellari possunt. Princeps harum causarum est.


1) *Peripneumonia non resoluta*. Haec, quia per resolutionem haud finita est, in scirrhum aut suppurationem transit, vt HIPPOCRATES (a) iam affirmat, et tempus, quo resolutio fiat, in 14. diebus ponit. Causae vero, iudicationem morbi per resolutionem impediens et suppurationem inducentes, sunt

a) Dispositio aegri ad phthysin, aut ab haereditate, aut pulmonum debilitate, aut alia quavis ratione oriunda.

b) Defectus seu suppressio sputi critici, si non factis coctum est, aut non omnino, sed tantum pro parte aut plane nihil exspuitur, aut si sputum valde tenax est, adeo, vt illa pars, quae in cellulis ab aspera arteria remotis continetur, minimos bronchiorum ramos pervadere nequeat; aut si supprimitur, refrigeratione subita, purgantibus intempestive datis, medicamentis  
irri-

a) Lib. I. de morbis, X. Praenot. Coac. 171, edit. van d. Lind.





irritantibus, spirituosus, animi affectibus (a).  
 Vel si morbus sudore copioso iudicari incipit,  
 et hic supprimitur etc. materia morbifica non  
 educitur, sed in pulmonibus remanet, et vel  
 indurescit et in scirrhum convertitur, vel pu-  
 trescit, aeris fit, et in pus transmutatur;  
 quod si membrana inclusum in pulmonibus te-  
 netur, vomica operata, si vero, pulmonibus  
 ruptis, in cavum thoracis delabatur, empyema  
 dicitur.

c) Venaesectio iusto crebrior. Hac enim corpus  
 debilitatur, vires vitales amittuntur, pulmones  
 tonum perdunt vel relaxantur, coctio sputi nec  
 fieri, nec sputum ipsum ob imbecillitatem pul-  
 monum eici potest.

d) Venaesectio intermissa, aut rarior, ac morbi  
 magnitudo postulabat. Febris enim non com-  
 pescitur, perdurat itaque, et resolui non potest.

VOGEL, (b) quidem negat, hac ex causa sup-  
 purationem produci eo respectu, quod plerumque  
 aegrotus febris pereat, priusquam suppuratio ve-  
 niat, sed non satis vere.

Signa, quibus apparet, vomicam instare, sunt

1) Horror et horripilatio vaga, levis, crebra, sine  
 manifesta causa, c)

2) Febris

a) Tissot Anleit. für das Landvolk §. 64.

b) de cognoscendis et curandis morbis §. 200.

c) v. Swieten Comm. in Boerh. Aphorism. 834.



- 2) Febris inflammatoriae mutatio in lentam.
- 3) Pulsus debilis, celer, interdum vndosus et mollis.
- 4) Color roseus genarum et labiorum, maxime tempore vespertino.
- 5) Doloris inflammatorii remissio, et loco eius sensus doloris gravis, fixi, obscuri.
- 6) Nulla mutatio morbi in diebus criticis.
- 7) Respiratio difficilis, parva, anhelosa, interdum strepens. a)
- 8) Spiritus foetidus et vox rauca.
- 9) Sapor putridus (b) et appetitus prostratus. (c)
- 10) Pituita alba, et lentor quidam linguae (d) insidens.
- 11) Tussis sicca, pertinax, ad motum pastumve aucta. b)
- 12) Sudor faciei et thoracis atque macies. b)
- 13) Oculi concavi, a) calor extremitatum.
- 14) Decubitus in vno tantum latere, scilicet affecto tolerabilis. b)
- 15) Urina spumosa, rubra. b)

*Scirrhum* vero nasci ex iisdem fere signis cognoscitur. Macies enim, febris lenta, dolor obtusus,

C 2


tussis

a) Boerh. Aphor. 843.

b) Tissot Anleit. für das Landvolk §. 68.

c) Boerhaave Aphorism. 843.

d) Fernelii Patholog. Lib. V. Cap. X.



tussis sicca et dyspnoea adsunt; lingua tamen, sapor et spiritus nullam dant notam, deficiunt quoque horrores.

Scirrhus nunc in pulmonibus orto, phthisis sicca veniet, tam diu perdurans, quam scirrhus quiescit. Hoc autem in suppurationem transeunte, phthisis venit vlcerosa. Vomica nata, sub initio phthisis quoque sicca est, quamdiu vomica operta est; si rumpitur, in bronchia pus aut omne expuitur, et tunc aeger facile sanari potest, aut quantitas saniei in pulmonibus remanet, nouam vomicam gignens, per corrosionem et communicationem omnium vesicularum inter se per totum pulmonem pus se expandit, nova vlcera et exquisitam phthisin saniosam producit. Sin vero vomica extus aperitur, et pus in cavum thoracis effluit, empyema oritur, quod aegrum plerumque breui suffocat, et nisi hoc fiat, pulmones et reliquas partes, quas attingit, corrodit, et hominem interficit.

### §. 21.


II. *Haemoptysis*. Vulgi opinio et veterum quoque est, post haemoptysin venire phthisin, et pus sequi sanguinem; sed non omnis haemoptoicus fit phthisicus, vt experientia omnis aevi docet. Pendet haec mutatio morbi a causa haemoptysis et ab translatione eius.



1) Si haemoptysis ab anastomosi inducitur, subesse debet debilitas pulmonum et eius vasorum, cum congestione sanguinis copulata. Si itaque plethora imminuitur, congestio derivatur, et pulmones roborantur, sanguis in vesiculis adhuc haerens et per vasa non absorbtus evacuatur, atque noua accessio evitatur, nullo modo phthisis insequi potest. Sed si indicationibus non satisfit, et apta remedia negliguntur, laxitas pulmonum perdurabit, noua fiet congestio, et noua haemoptysis, vnde per tot haemorrhagias magna copia boni sanguinis perditur, corpus fit cachecticum et macilentum, sanguis in pulmonibus stagnans non evacuatur, putrescit, mutatur in pus, pulmones corroduntur, et vlcera gignuntur.

2) A diaeresi nata haemoptysis difficilior est curatu, et curatio diuturnior. Facilius itaque frequentur noua stagnatio, noua haemorrhagia, etc. n. I, enarrata.

3) Pessima est haemoptysis a diabrosi. Haec enim iam materiam acrem putridam in sanguine adesse sinit, vasa corrodentem, quae haud difficulter vlcera facere potest, si in pulmonibus stagnet, et hos quoque acrimonia sua inficiat.



## §. 22.

III. *Vulnera thoracis.* Iam iam constat, non omnia thoracis vulnera esse per se letalia, nisi cor aut vasa magna violata sint, sed, pulmonibus vulneratis, maxime si externum vulnus breui se contrahit, adeo, vt sanguis inde effluere nequeat, sed ibidem haereat, phthisis plerumque insequitur. Stagnans enim in vulnere sanguis putrescit, et ulcera inducit. Quo accedit, quod vulnera pulmonum difficillima sanatu sint, quia aer ab illis arceri nequeat. SCHENKIVS (a) et FORRESTVS (b) in iis, quibus vulnera thoracis inflicta erant, pulmones totos corrosos et suppurantes invenerunt. Huc etiam pertinent costae fractae et introrsum trusae, quippe quae finibus acutis pulmones dirumpunt et vulnerant, post haec haemoptysis a diabrosi et phthisis insequuntur. Idem effici vulnere tracheae, HIPPOCRATES (c) contendit.

## §. 23.

IV. *Metastases materiae morbificae cuiusque ad pulmones.* Si quando excretio materiae cuiusdam impeditur

a) Observat. med. p. 267. Obs. III.

b) Observat. med. Lib. II. Obs. 32.

c) Lib. II. de morbis XLVIII.



impeditur, in sanguine remanet, et ad alias partes corporis defertur. In praedisposito corpore ad phthisin maxime haec metastasis ad pulmones fiet, quin et sine illa, ob molem sanguinis pulmones pervadentis et structuram pulmonum teneram, et ad recipiendas metastases ob multas cellulas pronam. Speciatim vero ab *arthritide et podagra retropulsis* phthisis oriri potest, cum materia acris pulmones irritat, inflammat, haemoptysin et ulcera gignit (a). *Morbi exanthematici* idem efficere possunt, uti scabies, variolae etc. si ad interiora ruunt. In primis autem *morbilli* hoc faciunt. Hi cum phthisi iam aliquam affinitatem habere videntur, cum in ipso morbo pulmo quoque afficiatur, id quod tussis et catarrhus testantur. Pulmo itaque ipso morbo morbilloso praedisponitur ad excipiendam metastasin. Eodem modo *febres tam intermittentes, quam continuas*, nisi per crisin aut lysin rite iudicentur, in phthisin transire possunt. Etenim febris fere mutatur in hecticam, cum vires iam debilitatae sunt morbo antecedente.


*Ulcera diuturnorum fonticulorum et fetaccorum exsiccatio* ad phthisin viam sternit. Eius modi ulce-

C 4

ra

a) *Musgrae* de arthritide anomala Cap. XII, p. 196.





ra corporis totius sunt quasi emissaria, quibus humores omnes perdit et mali evacuantur. Quibus temere clausis, exitus liquorum noxiorum impeditur, in sanguine ergo remanent, et aliam corporis partem petunt. (a) Non solum autem ulcerum magnorum inveteratorum exsiccatio hoc efficit, sed etiam, si diutius aperta sunt. Semper enim inde pus sorbetur, et reliquae sanguinis massae admiscetur, lymphæ vero permulta ab ulcere effluit, ex quo corpus macilentum et cachecticum red- ditur. (b).

Non minus etiam ulcera in partibus corporis internis, in renibus, utero vel hepate phthisin inducere possunt, quia pus per venas e parte ulcero- sa assumitur et ad cor transmittitur, ex hoc vero per arterias pulmonales in pulmones ipsos du- citur.

*Lochia* quoque ad pulmones migrare possunt, et phthiseos occasio fieri, quod HIPPOCRATES (c) affirmat, qui haemoptysin praecipue hac ex causa venire auctor est.

*Bilis metastasis* huc quoque pertinet. Plures huius causae adesse possunt, puta obstructio he-  
patis

a) *Morton Phthisiologia* Lib. III Cap. VIII.

b) *Ibid.* cap. XIV.

c) *Lib. II. de morbis mulier.* Sect. 49.



patis, (vid. §. 19.) ductus choledochus obstructus, animi motus vehementes, steatomata, sarcomata, scirrhi, secretio bilis copiosior, si maior copia adest, ac in corpore necesse est, adveniente causa occasionali, ad pulmones transgreditur, imprimis si hi iam praedispositi sunt. Hic loci ergo haeret, et symptomata producit (§. 19.) enarrata.

*A transpirationis et sudoris suppressione phthisis nasci potest, eo; quod primo catarrhi oriuntur, post, si diutius corpus exercent, phthisin inducunt.*


*A sudore pedum retropulso phthisin dimanasse, TRILLEIUS (a), et a plica polonica abscissa, ERNDTEL (b) affirmant.*

### §. 24.

V. *Lues venerea.* Omnes, hac lue infecti, sanguinem habent cacochymicum, acrem, miasmate specifico inpraegnatum, et ad ulcera mala excitanda proclivem. Sicut itaque in aliis partibus, genitalibus, palato, gingivis et perinaeo ulcera  
vene-

a) Diss. nullam medicin. inderdum esse optimam, Wittenb. 1754.

b) Warsavia illustrata pag. 160.



venerea oriri possunt, ita etiam in pulmonibus idem fieri non nequit, cum semper magna pars miasmatis ad illos cum sanguine veniat. Idem fieri potest, si gonorrhœa supprimitur, bubones et scabies venerea retropelluntur, aut ulcera venerea externa exsiccantur.

§. 25.

VI. *Catarrhi diuturni.* Pulmo his debilitatur, et tussi, quae ab irritante pituita orta erat, conquassatur, magis magisque relaxatur, congestio itaque semper nova fit, et mucii aggestio. Sanguis fit cachecticus, corpus marcidum, et ad rheumatismos, quin minima aëris mutatione ad novam accessionem catarrhalem pronum, quo fit, ut pulmones semper materia pituitosa sint obstructi. Materia mucosa in illis acris fit, et pulmones irritat, unde levis inflammatio et suppuratio sequuntur. Sed etiam ob gravitatem suam pituita, in pulmonibus stagnans, phthisin ciet, cum cellulas pulmonum distrahit, et multiplici eorum ruptione vulnera producit, quae paullo post in vomieas apertas et folles saniosos commutantur.

§. 26.

VII. *Haemorrhagiae nimiae.* Corpus sanguine inanitum debilitatur. Quicquid vero adhuc remanet, caeochymicus et acris fit. Initio tantum  
tabes





tabes sicca venire solet, sed cum inueterascit hicc status, pulmo infarcitur, obstructions et tubercula gignuntur, a quibus phthisis fere oritur.


Idem valet de phthisi nutricum e lactatione nimia. Lac enim nihil aliud est, nisi succus nutritius. Si ergo plus e mammis exfugitur, quam per chylum rursus massae sanguineae traditur, nutritio corporis perdat, et tabes veniat necesse est; (a) Sanguis cachecticus, corpus relaxatum et vires perditae, obstructions gignunt. Cl. WILLHELM (b) quidem casum narrat, vbi feminam, quae post haemoptysin in phthisin incidit, lactatione curavit. Veritatem historiae negare nolo, sed certe nihil aliud est, quam exceptio a regula, vt dialectici dicunt. Ipse enim cl. vir casum alium refert, vbi phthisica infanti quoque lac praebuit, sed paullo post gracilescebant mammae, lacte depauperatae, diarrhoea venit colliquativa, sudor nocturnus, et pallida mors. Eo modo tantum lactatio aliquid ad curationem phthiseos conferre potest, quod derivationem faciat, et ita idem producat, ac setaceum, foniculus aut vesicatorium, quibus medici ad pus e pulmonibus educendum vtuntur.

An

a) *Morton Phthisiologie lib. I. Cap. VI.*

b) *Obs. de Phthisi. Wirceb. 1777. p. 17.*





An autem satis tuto adhibenda sit lactatio, dubito ;  
 Nam infans vna cum lacte pessimos humores, pu-  
 rulentos et pravos e mammis ex fugit et deglutit,  
 quibus sanguis eius inficitur adeo, paullo post  
 phthisi corripitur, correptusque perit.

§. 27.


VIII. *Abscessus pericardii et mediastini*, quem  
 SALMVTHIVS (a), SEVERINVS (b) et HILDANVS  
 (c) causam phthiseos memorant. Eiusmodi abs-  
 cessus quin adfuerint, et, perfero pericardio et  
 mediastino, pulmones ipsos aggredi potuerint,  
 non dubito, sed nescio, annon aeger prius mortuus  
 sit. Ulceri enim pericardii cor proximum est.  
 Hoc itaque prius pure laedetur, ac pulmones,  
 suffocatione itaque perire debet aeger ante, quam  
 pus ex pericardio in pulmones transgredi possit.  
 Si in mediastino abscessus inest, idque rumpitur,  
 pus in cavum thoracis delabitur, et empyema  
 nascitur. Eo saltem modo phthisis hac ex causa  
 oriri potest, cum abscessus, uti tumor compri-  
 mens,

b) Observ. med. Cent. I. Obs. 15.

c) Consil. med. fol. 24.

d) Observ. Cent. I. Obs. 43.





mens, eosdem effectus praestet, ac scirrhi et tubercula pulmonum, aut cum pus per reformationem in pulmones feratur. Cl. LINGVET (a) etiam hunc abscessum plerumque sub larva hydrothoracis, empyematis, palpitationis cordis aut pleuritidis apparere affirmat.

IX. *Vlcus in aspera arteria*, quod HIPPOCRATES (b) causis phthiseos annumerat, agmen causarum huius acerrimi morbi claudat. Signa huius vlcis HIPPOCRATES appellat dolorem in thorace medio, vocem raucam, spiritum foetidum, veluti a piscibus crudis, salivam laevem atque tenuem, quandoque etiam crassam, sputum veluti succum pitisanæ referens. Oriri eiusmodi vlcus potest ab obstructis et inflammatis glandulis asperae arteriae, a metastasi, item a vulnere. Pus partim tussi eiicitur, partim per bronchia in pulmones defluit, et nova vlcera gignit corrosione.

§. 28.


Sed haec de causis phthiseos pulmonalis sufficiant. In quarum inuestigatione cum omnis me-

D 2

dici

a) Quaestiones med. Paris. agit. quæst. VIII. p. 78. Fasc. I. ed. SIGWART.

b) Lib. II. de morbis LXVIII. Ed. van d. Lind.




dici cura posita esse debeat, quia sine hac cognitione irrita putanda sunt quaecumque remedia, operam meam, quam in iis colligendis et ordinandis infuseram, nec supervacuum, nec inutilem tironibus existimo. Si quae vero defint, vel non satis bene explicata videantur, me tirocinium posuisse, non magistros et professores artis docere voluisse, meminerint. Hos ergo rogatos cupio, ut de hac mea qualicumque scriptione benevole iudicent.





dici cura  
tione irr  
meam, q  
feram,  
existimo.  
ne expli  
non mag  
meminer  
mea qua

gni-  
ram  
fum-  
ibus  
be-  
iffe,  
iffe,  
hac



# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Grey	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Grey	Black